DE

COLICA SATURNINA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XVI. M. NOVEMBRIS A. MDCCCXXXIX

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

EDUARDUS ALBERT. MUELLER

ASCANIENSIS.

Opponentibus:

A. B. ADAMCZYK, med. et chir. Cand.

A. H. HŒLTZEL, med. et chir. Cand.

A. STUMPFF, med. et chir. Cand.

BEROLINI,

Typis Fratrum Schlesinger.

VIRO

SPECTATISSIMO, AMPLISSIMO, HUMANISSIMO

Henrico Müller

MERCATORI, FABRICARUM PRINCIPI,

NEC NON

VIRO

AESTUMATISSIMO, AMPLISSIMO, ERUDITISSIMO

Friderico Müller

A CONSILIIS REGIIS

AVUNCULIS SUIS

SUMMOPERE DE SE MERITIS

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Morbus, quem adumbrandum mihi proposui, Colica saturnina vocatur, quia unica eius causa est saturnus aliqua via ac ratione in corpus illatus. Misso illo statu morboso, qui quantitate plumbi maiore una atque repente in organismum ingesta exoriri solet, in iis malis delineandis acquiescam, quae particulis plumbicis parvis, sensim assumptis, lente cientur. Illa enim intoxicatio acuta a morbo hoc chronico, gressibus lentissimis hominem obrepente, valde est diversa. Hic morbus chronicus est, quem iure meritoque Colicam saturninam vocamus. Praeterea alia ab aliis scriptoribus nomina accepit, ut Colica metallica, pictorum, figulorum, metallurgorum, (Malerkolik, Huettenkatze). Multi Colicam vegetabilem ab hoc malo separandam esse putant, cui morbi generi etiam nomina indunt: Colica Pictonum, Pictaviensium, Kolik von Poitou, Colica Damnoniensis, Kolik von Devonshire, Kolik von Madrid, Cyderkolik. Quid nos de hac amborum malorum separatione sentiamus, infra in medium proferemus. Uterque morbus non raro etiam Ganglialgia mesenterica, Rhachialgia, Colica rhachialgica vocatur.

SYMPTOMATOLOGIA.

Totus Colicae saturninae decursus satis commode in duo stadia potest distingui, quorum alterum spasticum, alterum paralyticum haud inepte dixeris.

Primi stadii ratio plurimum ita se habet: Incipiunt aegroti imbecilli infirmique esse; vexantur praecordiorum oppressione et anxietate; lingua est tremula et impura; appetitus prostratus. Primo hoc tempore etiam non raro fluorem ventris observamus. Sunt quorum animi ante morbi accessum insolito moerore aut anxietate quadam, impatientia et turbulentia praeter rationem agitentur. Noctu praesertim, ut subito terrore correpti, e lecto prosiliunt, quasi ex urgente periculo evasuri. Non raro aegrotorum aspectus est ut maniacorum; vultus terroris, furoris, metus, aerumnarum, meditationis signa prae se fert. — Praecordiorum oppressio quam aegroti conqueruntur, sensim sensimque aucta, subinde in abdominis dolorem mutatur ardentem, lancinantem, terebrantem, qui circa umbilicum maxime locum habet, sed etiam regionem dorsalem, lumbalem et pectus invadit; et tantos quidem cruciatus aegrotantes miseri experiri solent, quantos nullo alio in morbo. Ipsi sensum se habere dicunt ac si evulsa intestina contorquerentur *).

*) Stoll. ratio medend. Tom. II. pag. 270.

Qui dolores, postquam aegrotum aliquandiu occupavere, interdum desinunt, remittuntur certe; ubi vero aliquandiu desiere, denuo exacerbantur. Est quidem istud hisce doloribus proprium, ut mire minuantur, ubi abdomen aegrotantis manu tractamus. Eadem de causa aegroto magnum est levamen si truncum genubus admovet *). Ipsum abdomen inaequale a faecibus duris retentis; integumenta inter paroxysmos tensa, quasi tetanica et retrorsum tracta, adeo ut per ea nonnumquam ipsam columnam vertebrarum sentire quin etiam cernere poteris. Etiam anus spasmo vehementissimo sursum trahitur; sphincter ani interdum tantopere est contractus, ut clysterem omnino non admittat. Scrotum quoque constrictum, testiculosque ad annulum inguinalem retractos esse saepenumero est observatum. Quamquam aegroti multi creberrima desidendi conamina facere coacti sint, tamen plerisque alvus pertinaciter obstipata est, nec ullo remediorum purgantium aut enematum genere provocanda; quae alvi constrictio per quatuor, octo aut plures dies durare potest, nisi arte occurrimus. Aliis in casibus pauca quaedam excernuntur, sed a sedibus sanis admodum diversa, quum faeces plerumque sint durae, exsiccatae, quasi combustae, ovium excrementis haud dissimiles; aegrotantes alii magno ac dolentissimo cum tenesmo nihil exprimunt nisi parvam pituitae sanguineae quantitatem. Nihilominus M. Stoll in paucis alvi lubricitatem, sponte ortam, observavit, magno cum levamine morbi. — Lingua in multis e flavo fusca est, haud raro arida atque fissa in superficie; sed occurrunt etiam homines hoc morbo affecti quorum lingua a sana haudquaquam discrepare videtur. Urinae exiguam tantum quanti-

---

*) Tamen Stoll esse affirmat, quorum praecordia attactum aversentur.

tatem aegroti emingunt, quam redditurі ardorem et dolores maiores minoresve experiuntur. Ipsum lotium plerumque est crystallinum, spasticum. Cavum oris est siccum, sapor aut amarus aut dulcis; sitis magna. Febrem nullam animadvertimus. Arteriarum pulsus spasticus, admodum durus, contractus, parum acceleratus; interdum justo rarior. Repetita venaesectio duras arterias nec hilum emollit. Aortam abdominalem pulsantem saepe animadvertimus propter retracta abdominis integumenta. Corporis temperatura interdiu a norma parum abscedit, sed versus vesperam et noctu aegroti habent sensum caloris in toto corpore, quemadmodum in febre inflammatoria, quin tamen ad attactum caleant aut pulsum habeant febrilem. Cutis est arida, plerumque flavescens aut pallida; serius multorum epidermis in tenues squamulas secedit. —

Atque haec quidem sunt symptomata, quae nervum sympathicum et eos imprimis ramos affectos esse indicant, qui plexus mesentericos componunt.

Denique, posteaquam aliquandiu ita aegrotatum est, signa adparent, quae etiam alias systematis nervorum partes affectas esse manifestant. Primo ganglion coeliacum in plexus mesenterici societatem venisse videmus e cardialgia, e nausea, e ructibus amaris, acidis, putridis, dulcibus, denique e vomiturітionibus ipsoque vomitu, quo vomitu plerumque materia viridis, aeruginosa, porracea, biliosa, mucosa excernitur. Sunt autem vomitus isti crebri, laboriosissimi, difficillimi et, ut Stolliano verbo utamur, subinde cum boatu potius quam cum hominis clamore. Paullo post etiam nervi respirationi inservientes afficiuntur. Sensus rei alienae per oesophagum reptantis, strangulatio gutturis et globus quasi hystericus. Respiratio per vices difficilis, anhelosa, crebra, summo cum molimine motuque organorum exercita, sonitum edens. Tussis convulsiva, singultus. Vox impedita, balbutiens, interdum vix perceptibilis

aut plane deperdita. Palpitatio cordis, anxietas. Serius ocius in omnes fere nervos affectio propagatur. Tremor artuum apparet, convulsionum omnia fere genera, epilepsia, spasmi tonici plerumque musculorum ut in tetano, interdum opisthtotonus saevissimus. Pupula est contracta, praeter naturam minuta, mobilitas bulbi oculi impedita. — Alias artus incipiunt dolere quasi rheumatismo acuto affecti. Malum interdum lumbaginem, ischiadem aliasve neuralgiarum species mentitur. Saepe aegroti nihil conqueruntur nisi musculorum imbecillitatem aut sensum reptantium formicarum. — Etiam partes systematis nervorum centrales affectas esse videmus e vertigine, cephalalgia, agrypnia, stupore, deliriis furibundis, organorum sensuum perturbationibus, quae morbum nostrum saepissime comitantur. Animus ipse iniquus, impatiens malorum, desperans de recuperanda valetudine, quorum animi motuum etiam vultus signa prae se fert maxime perspicua — Multos spasmis atrocissime convulsos subitanea mors apoplectica jugulavit. — Quo diutius morbus protrahitur, eo magis paroxysmi sibi invicem appropinquantur, malaque eo atrocius aegrotum infestare solent, quo crebriores impetus morbus in eum fecit. Hoc etiam scire refert omnia ista symptomata atque prae omnibus artuum dolores vespertino tempore et noctu aucta vehementia in aegrotantem irruere. —

Morbus quum tali modo per incertum dierum numerum saeviit aut impetibus repetitis in aegrotum inciderat, aliam speciem assumit. Systematis enim nervosi exaltatio in debilitatem summam, statumque paralyticum commutatur. Cui secundo morbi nostri stadio nomina varia sunt indita, quorum sunt maxime nota: Paralysis metallica, saturnina, pictorum, Tabes metallica, saturnina, Tabes metallifossorum, metallurgorum, (Huettenkatze) etc. —

Symptomata hujusce stadii, saepissime nobis obvia, haec fere sunt: Extremae corporis partes inalgescunt, angustiae,

quibus praecordia premuntur, vertigo, hebetudo organorum sensuum ingravescunt; denique convulsiones et spasmi, quibus musculi concutebantur, in paralysin variarum corporis partium vertuntur. Quibus affectionibus paralyticis extremitates superiores, atque in his manus maxime sunt obnoxiae. Interdum alterutrum artum paralyticum cernes, saepe etiam utrumque. Haud raro id mali unum alterumve solum digitum invadit. Praeter extremitatum superiorum nervi optici paralysis est frequentissima. Etiam aliae corporis partes affici possunt, sed raro aut numquam solae sanisque brachiis. Est autem haecce paralysis generis passivi et a paralysi apoplectica toto coelo diversa. Postquam aegrotus aliquandiu hebetudinem brachii conquestus est, in difficili ei est digitos extendere, manum capiti admovere etc. Quae difficultates magis magisque ingravescunt. Denique digiti incurvantur, manus de brachio ut pondus inanime, a corpore prorsus alienum, laxa flaccidaque dependet. Id enim scire refert musculos potissimum adductores brachii malum istud pareticum contrahere, quare manus et brachium affectum, ut extendi aut levari possint, opem a manu incolumi petere coacti sunt. — Sensibilitas partis paralyticae adeo non est minuta, ut etiam in hoc morbi stadio aegroti graves dolores aut certe formicationes membri, hoc malo affecti, conqueri soleant. Arteriarum in ipso membro resoluto vibrantes, tardi et validissimi sunt ictus. Jam initio hujus stadii ipsam substantiam musculorum affectorum macescentem, relaxatam, atrophicam et quasi evanescentem animadvertimus; quod phaenomenon primo in musculis adductoribus pollicis adparere practici multi observarunt.

Saepe in dorso manus tumores oriuntur, plerumque molles et mobiles, interdum duri atque arctissime partibus, quibus insident, adhaerentes. De Haen, qui primus hoc phaenomenon observavit, corpora hominum hoc morbo exstinctorum, secan-

tem se invenisse dicit tumores illos molles nihil esse nisi vaginas atque ipsas tendines musculorum adductorum dilatatas; nodos autem duros atque immobiles ossa metacarpi tumentia esse contendit.

Malis tali modo aegrotum urgentibus, nisi citissime summaque cum diligentia occurrimus, alia mox accedunt symptomata, quae totum corpus gravissime affectum esse, maximoque in periculo versari, nobis indicant.

Totius corporis oritur extenuatio atque contabescentia, qualis fere nullo in alio morbo. Musculi penitus fere consumuntur, aegrotus nihil esse videtur nisi sceleton vivum, cute arida, lurida indutum. Brevi febris hectica supervenit, quod sensim aegrotum obrepit, exacerbationibus initio vix sensibilibus; mox autem ex parvis admodum principiis atrocissima capit incrementa, quorum symptomata, omni febri hecticae jam ulterius progressae communia, fusius hic afferre nostrum esse non putamus. Etiam nunc manent frequentissimi alvini cruciatus, umbilicum maxime petentes. Manent viscerum obstructiones pertinacissimae, varii animi affectus, vigiliae protractae, inedia, pulsus durus, serratus, intermittens. Sub finem morbi aegroti incidunt in melancholiam, vitaeque eos taedium capit. In cute maculae rufae aut fuscae enascuntur. Oedema pedum, anasarca, hydrops pectoris aut universalis accedunt. Qui affectus in dies ingravescunt donec aegrotus diris horum malorum impetibus succumbit. —

Differentiae et Complicationes.

Quae modo in medium protulimus morbi nostri symptomata cave ne credas semper stabilito eodem ordine in aegrotum incumbere. Quamquam colica saturnina ex eodem semper fonte proficiscitur ejusdemque omnibus in casibus est naturae,

tamen aut celeriori decursu aut tardiori, aut hoc vel illo evidentiori symptomate, aut complicato alio morbo, in hominibus aliis alio modo perquam variat. Neque omnia symptomata semper adesse opus est; pauca contrario morbi signa animadvertes, singulorum casuum respectum habens; ubi omnia quae accedere possunt colligere vis, ingentem coacervare poteris multitudinem. —

Est autem constantissimum Colicae saturninae symptoma organorum digestioni inservientium laesa conditio, et permulti sane aegroti occurrunt quorum affectus viscera abdominalia non excedere videntur. Sunt qui atrocissimis abdominis doloribus diu noctuque miserrime cruciati, nihil convulsivae aut apoplecticae affectionis umquam perpessi sint.

Aliis encephali et medullae spinalis functiones prae omnibus sunt turbatae. Artuum cruciatus, locum per vices mutantes, rheumaticos, quin osteocopos dolores syphiliticos, simulantes, debilitas, capitis gravitas et temulentia, cephalalgia, vertigo, tremor artuum, convulsiones omnigenae, apoplexia. Alios, provecta iam aegritudine, mala haec incedunt, alios multo ante quam alia symptomata animadvertuntur; quosdam nullis adhucdum, aut perexiguis, torminibus admonitos, tristissimae epilepticae affectiones convellunt, iugulantque convulsos. Pari modo non pauci mitissime, aut omnino non ex ipsa colica aegrotantes repentina morte apoplectica periere.

Paralyses plerumque protracto iam morbo superveniunt. Sunt tamen quibus extremitatum sideratio primum, quin etiam unicum intoxicationis sit symptoma.

Perpaucis omnium artuum vis periit; plurimis extremitatum superiorum, manuum, digitorum singulorum: aliis etiam crura una cum brachiis sunt resoluta. Fuisse affirmant: qui nihil aliud mali ex intoxicatione plumbo facta perpessi sint, nisi amaurosin aut cophosin. Quibusdam artus nonnisi ad motum inepti-

res, graves, quasi confracti et dedolati facti sunt: aliorum membra moveri possunt si intensa omni voluntate connitantur; aliis omnis membri adfecti vis motoria deperdita esse videtur. —

Tubercula, quibus manus aegrotantium non raro notantur, iis imprimis oriri solent, qui hac aegritudine iam saepius aut diutius et gravius tentabantur. Non paucis autem iam in principio morbi eiusmodi nodi nascuntur; quibusdam erant primum imminentis mali signum; abdominis cruciatus serius subsequebantur. Fuerunt quibus loco ejusmodi tuberculorum singulorum dorsa manuum et pedum magno cum dolore intumuerint, ut in rheumatismo acutissimo, qui tumor dolorosus inde a vespere usque ad mediam noctem exacerbavit, imminutus est ad primam auroram. —

Sed haec hactenus de morbi nostri simplicis atque impermixti varietatibus. Jam mihi superest pauca referre de ea ratione, qua, alio superveniente morbo, praesertim febrili, e genio epidemico annuo orto, mutari possit. Verentibus autem ne ad angustiores limites commentatiunculae academicae more positos, transgrediendos rerum abundantia cogamur, visum nobis est in hisce pagellis conquiescere in eo connubio memorando, quod Colicam saturninam cum inflammatione viscerum abdominalium et cum febre gastrica, biliosa imprimis, inire videmus. Haec enim sunt complicationes, quae et saepissime occurrunt, et prae ceteris mutatam ac singularem curam requirunt.

Siccis tum hiemis tum veris mensibus, cum morbi phlogistici omnino soleant imperitare, etiam Colica pictorum cum intestinorum inflammatione non raro societatem init perniciosissimam. Quae res gravissimi est momenti, sed anfractuosae subinde indaginis. Dolores acutissimi persaepe vexant Colica saturnina affectos, etsi nulla adsit inflammatio; alios, morbo nostro strangulatos medici dissecantes gravem intestinorum in-

flammationem reperiere, etsi aegri vix dolores abdominales conquesti sint. — Abdomen vel levissimae contrectationis impatiens, interdum tympaniticum, lingua rubra, exsiccata, dolores, si qui adsunt, pertinaces neque alternis vicibus remittentes, facies initio rubra, mox pallida atque collapsa, urina pauca, flammea, pulsus primo fortis, plenus, celer, non ita multo post debilis atque parvus tutiorem nobis diagnosin suppeditant. Praeterea magni sunt momenti et tempus phlogisticum et corporis robusta et inflammabilis constitutio.

Saepius aegri, Colica pictorum correpti, febri simul gastrica, praesertim gastrica biliosa, laborant. Tempore aestivo, quo bilis potissimum dominatur, haec complicatio frequenter occurrit. — Aegrotantes initio morbi frigent calentque per vices, postea calore assiduo vexantur; magnam saburrae biliosae, aeruginosae copiam vomitu sponte ejiciunt. Dolor in epigastrio ardens, attactu auctus; gravitas et oppressio circa praecordia; flatus, ructus, borborygmi; os mucosum, amarum; lingua sordida, flavescens, tremula quando ex ore porrigitur; genae non raro praerubrae sed ubi ad labiorum commissuram nariumque pinnas procurrunt ruborem pallor excipit e flavo virescens. Tremula labii inferioris inter loquendum micatio; oculorum humidorum nitor quidam vix describendus. —

Morbi decursus et exitus.

Colica saturnina plerumque per longum temporis spatium decurrere solet. Vel levissimi morbi impetus ante sextum aut septimum diem vix concluduntur; plerisque autem in casibus in tempus magis diutinum, in hebdomades multas, in menses, imo in annos protrahi solet. Quo minores sensim veneni particuli et quo majoribus interpositis intervallis in corpus assumuntur, eo maior ipsius mali diuturnitas. Solet autem id aegritu-

dinis genus diuturnitate magis quam vehementia aegrotante molestias exhibere. Alvus est irregularis, modo fluens, modo clausa. Per vices intestinorum et artuum doloribus aegroti conflictantur, raro tamen ita atrocibus. Respiratio nunc repente perquam difficilis, nunc plane expedita. Arteriarum pulsus plenus, durus, vibrans. Mens morosa, anxia, iniqua *).

Quando in melius vertitur morbus, lysi potius quam crisibus solvi solet. Paroxysmi abbreviantur atque mitigantur; intermissiones in dies magis fiunt purae longaeque. Alvus hucusque pertinaciter clausa sensim reseratur; sedes, initio durae, caprillae aut mucosae, interdum sanguineae, denique naturalem assumunt rationem. — Aliis sudor movetur criticus cum exanthemate quodem fugaci, cutisque desquamatione.

Qui minus fauste e morbo convalescunt dubiae vacillantique sanitati transmittuntur. De extremitatum organorumque sensuum paralysi diuturna et saepe vix funditus sanabili multa iam disputavimus. Alii etiam tractus intestinorum malo quodam paralytico mulctantur. Hi saepe per omne vitae tempus sponte sua nulla, aegre remediis purgantibus adhibitis, excrementa deponunt.

Mortem morbo nostro conflictati alii alio modo subire queunt. Quosdam inter paroxysmos subitanea apoplexia sanguinea, ob impeditam per vasa abdominalia circulationem, feriebat. Saepius usu venit, ut aegrotantes apoplexia nervosa, e virium debilitatione subito exorta, exstinguantur. Haud ita raro intestinorum aut peritonaei inflammatio supervenit, qui morbi nostri exitus semper est periculosissimus citissimeque aegrotantem enecare solet, praeter cum sine ulla mora aptissimam medelam adhibueris.

---

*) Stoll. Rat. medend. Tom II. pag. 282.

Aliis intestina praeter naturam amplificantur aut constringuntur, quin etiam scirrhos aliaque vitia organica chylopoëticorum organorum inde exorta esse multi contendunt. Quibus malis omnibus morti serius ocius aditum patefieri nemini non est notum.

Saepe morbus gressibus magis lentis ad exitum funestum adducitur. Hydrops, et ob laesam reproductionem et ob systema uropoëticum plumbi viribus praeprimis prostratum orta, multos iugulavit. Plurimi autem aegroti dira illa tabescentia, quam in fine primi huius disputationis capitis breviter depinximis, in orci fauces inevitabiles praecipites feruntur. —

Aetiologia.

Quum plurimorum aliorum morborum tum Colicae saturninae causa proxima est res inquisitu difficillima. Ut nervorum physiologiae, ita etiam eorundem pathologiae recentiori demum tempore clarissimorum virorum ingenio ac diligentia aliquantum lucis est allatum. Mirum igitur quanta fuerit confusio medicorum antiquorum inexponenda morbi nostri ipsa re atque natura. Fuerunt, qui rem rationemque Colicae saturninae in affectione inflammatoria tractus intestinorum positam esse contenderent; alii exsudato quodam humore in membranas medullae spinalis ejusque processuum symptomata illa effici credebant. Quin C. Strack, vir alias de arte salutifera optime meritus, Colicam saturninam cum arthritide unum idemque esse pathema contendit. Omissis ceteris opinionibus innumeris, quas alii aliter protulere, ea de causa proxima Colicae saturninae afferemus, quae inter omnia maxime nobis placent.

Nostris temporibus optimi medici in eo consentiunt, Colicam saturninam neurosibus, hoc est iis morbis esse adnumerandam, in quibus nervorum actio aberrat a norma, structura

organi cuiuspiam nequaquam mutata. Indicant quidem tum symptomata multa morbi ipsius, tum mutationes, quas corpora morbo nostro enecatorum dissecando invenere, praeter systema nervorum in mali decursu etiam alia corporis organa aegrotare posse: sunt autem haec phaenomena aut morbi prorsus alieni, forte cum Colica saturnina complicati, aut exitus morbi, non pro Colica saturnina ipsa, sed pro effectibus aegrotationis habendae. Res ipsa causaque proxima Colicae saturninae est hyperaesthesia nervorum abdominalium, praecipue plexus mesenterici, veneni saturnini vi quadam specifica exorta, quare optime malum Ganglialgiae mesentericae speciem tu nuncupaveris. —

Quae plexus mesenterici irritatio non diu uno eodemque loco continetur, sed serius ocius sympathice in alias systematis nervorum partes transire solet. Falso physiologi veteres docuere mutationes, quas pars una systematis nervosi subit per anastomoses in alios nervos transferri; cuius communicationis nervum sympathicum praecipue auctorem esse credidere. Progressibus ingentibus, quos nervorum anatomia et physiologia recentissimo aevo fecerunt edocti sumus fibrillas nervorum nullibi anastomosibus inter se esse iunctas, sed unamquamque plane segregatam et nonnisi neurilemate cum vicinis iunctam a fine peripherico usque ad partes centrales decurrere. Sympathiae igitur illae, quas inter partes systematis nervorum esse deprehendimus, quum non per anastomoses fieri possint, res ita optimam habet explicationem: Affectio, quam locus quilibet nervi alicuius subit, inde a loco affecto in finem eiusdem nervi cerebralem aut spinalem recta perducitur, unde in fines centrales aliorum nervorum transiens, in eas horum nervorum partes reflectitur, quae ad peripheriam corporis porriguntur. Qui reflexus aut sensum quendam aut motiones in illis partibus efficit, in quas fibrillae nervi illius, secundario affecti, dispertiuntur.

Atque ad hasce quidem leges respectum habentes facillime possumus explicare et dolores, quos non solum aliae systematis gangliorum partes, sed etiam nervi spinales et cerebrales experiuntur, et spasticas illas affectiones quibus partes diversae convelli solent. Alia phaenomena, eodem modo explicanda, iam dudum medicis erant nota. Quis non novit pruritum illum narium, quo ii affici solent, quorum canalis intestinorum vermibus irritatur? aut tremorem convulsivum labii inferioris qui optimum est signum status gastrici? Pari modo tenesmus intestini crassi irritationem, Crampi saepissime vomitum et choleram morbum comitantur. —

Ex iis, quae modo exponere conati sumus, patet omnia illa phaenomena spastica, quae in morbo nostro observamus nequaquam ab affectione primaria partium systematis nervosi centralium originem ducere, quod multi credidere, qui de cerebri aut medullae spinalis inflammatione aut de exsudationibus in membranas, quibus circumdantur, factis ineptias plurimas protulere. Unica causa convulsionum illarum multigenarum est affectio finium periphericorum gangliorum abdominalium, quae affectio per cerebrum et medullam spinalem ad radios extremos totius systematis nervorum reflectitur. Hinc spasmi illi epileptici et tetanici musculorum eorum, qui toti corpori movendo inserviunt; hinc convulsiones respiratoriae; hinc pertinaces illae alvinae obstructiones, quia musculi canalis intestinorum contracti contentis exitum claudunt; hinc tenesmi illi dolorifici, urinae secretio impedita et quibus aliis malis aegri vexantur.

Neque tamen dicere volebamus encephalum aut medullam spinalem in morbi nostri decursu numquam affecta inveniri. Experientia saepissime nos docet aegrotantem vertigini, stupori, deliriis esse obnoxium, quin apoplexia enecari. Sed id semper memoria tenendum, mala ista omnia primam a partibus hisce

non duxisse originem, sed per medium nervorum peripherico-rum in eas esse translata. Quae, ut ita se habeat, res etiam cadaverum sectionibus probatur, quippe quae numquam fere, nec encephali nec medullae spinalis nobis monstrarunt structuram mutatam.

Exaltatas nervorum motiones saepissime in extremam debilitatem mutar, res est notior, quam quae fusius hic tractetur. Haec sola est causa malorum paralyticorum quae tam saepe Colicam saturninam comitantur; numquam cerebri aut medulla spinalis degenerationes sunt accusandae. —

Hanc nervorum affectionem, quam propriam indolem Colicae saturninae esse monstravimus, perquam saepe cum aliis morbis posse complicari iam supra commemoravimus. Sed ut alias nervorum hyperaesthesias, sic etiam Colicam saturninam, ubi per longius temporis spatium ratione vehementiore aegrotantem infestaverit, non raro in alia mala transire videmus; quae autem mala non magis pro ipsa Colica saturnina sunt habenda, quam hydropem, qui scarlatinam tam saepe excipit, ipsam scarlatinam adhuc poteris nuncupare. — Sic e Colica saturnina, non aliter atque ex aliis neuralgiis *) saepe inflammationes oriuntur acutissimae atque periculosissimae. Haud raro haemorrhoides aliique abdominis morbi inde nascuntur atrociores, qui nimis saepe mortem post se habent. Hac re potissimum medici cadavera dissecantes ita sunt perturbati, ut has morbi sequelas, quorum vestigia in corporibus inveniebat, pro causa proxima atque ipsa indole morbi nostri habuerint. Sola Colica saturnina, mera atque non permixta, numquam structurae organorum mutationes organicas in enecatorum cadaveribus reliquit. —

---

*) Schoenlein: Allgemeine und specielle Pathologie und Therapie. Th. IV. St. 57.

Quae cum de Colicae saturninae causa proxima disseruerimus, jam nos vertamus ad causam remotam ejusdem morbi illustrandam. Et hoc quidem esse plumbum, via quadam ac ratione in corpus ingestum, jam nomen mali indicat. Nihil nobis restaret quod huc adderemus, nisi recentioribus praesertim temporibus magna lis doctos inter homines esset exorta et de via, qua plumbum in corpus assumptum morbum nostrum facillime provocaret et de praeparato plumbi, e quo organismus maximam noxam capere posset.

Veteres medici omnia saturni praeparata aeque extimescebant adeo ut fuerint, qui omnem in medicina usum internum huius metalli ut veneficium abhorrerent. Nostris temporibus doctorum hominum opiniones de hac re valde inter se discrepant. Dum alii etiamnunc nocivam cuiuscumque plumbici praeparati vim admodum veriti, medicamina plumbum continentia nonnisi cautissime dosibusque minutissimis aegrotis suis propinare audent, alii inter omnia praeparata e plumbo facta solum plumbum carbonicum Colicam saturninam provocare posse contendunt, plumbum contra aceticum paene innoxium esse dicunt; quam opinionem multis observationibus atque experimentis probare student. Quamquam ex observationibus omnibus, a medicis optimis aevi nostri factis, id negari nequit Colicam saturninam facillime a plumbo carbonico posse provocari, tamen ii procul dubio ultra veritatis terminum progrediuntur maximumque hominibus damnum facere possunt, qui omnia alia praeparata innoxia esse contendunt. —

Priusquam de singulis plumbi praeparatis plura afferamus, de alia re pauca disputabimus quae magna medicorum est in contentione: quanam via ingestum plumbum facillime Colica saturnina corpus possit afficere. — Medici veteres credidere tum maxime e plumbo Colicam saturninam exoriri, quum in tractum intestinorum sit illatum, quamquam etiam tunc tempo-

ris non defuere, qui morbum nostrum a plumbo per cutem externam absorpto natum esse observarent. Sic iam Boerhaave, Wedekind, Brambilla, Percival aliique de Colicis saturninis ex emplastris plumbicis progenitis loquuntur, quae in partes externas incaute erant applicata. Et certe observationibus atque experimentis a viribus nostri temporis maxime insignibus factis, res ab omni dubitatione est remota plumbum in cutem externam applicatum non solum Colicam saturninam posse provocare, sed facilius etiam provocare quam in tractum intestinorum ingestum. Hoc autem nunc constat inter omnes maximam perniciem vapores a plumbi praeparatis exhalatos, subtilissimumque saturni pulverem, per membranam mucosam pulmonum absorptos, corpori afferre.

Est autem plumbum venenum eo magis timendum, quum inter metalla omnia vix ullum inveniatur quod, quum tam pronum sit ad oxydationem, simul tam saepe formisque tam multigenis in hominum veniat communicationem.

Praeparata plumbi quae et in oeconomia et in artibus et in medicina saepissime nobis occurrunt sunt haec:

Plumbum metallicum omnino nullum effectum in corpus exhibet; sed quoniam facillime cum oxygenio se iungit tamen usus oeconomicus vasorum aut plumbeorum aut encausto plumbeo incrustatorum, aut aquaeductuum e plumbo factorum frequentissima erat causa Colicae saturninae. G. Baker, qui prae omnibus contra usum vasorum plumbeorum summo cum studio plurima dixit atque conscripsit *), etiam eorum morborum, quos dicunt Colicam Pictonum et Colicam Damnonum, causam in eo posuit, quod in iis locis, ubi epide-

*) G. Baker Essay concerning the cause of the endemical Colic of Devonshire. Lond. 1767.

mice grassantur, vinum aliique potus qui egent fermentatione in doliis reservantur, in latere interno aut omnino plumbo obductis aut certe annulis plumbeis armatis, quominus vino fervente disrumpantur. Eandem causam multi ei colicae tribuunt, quae Mantuae Carpentanorum, Hispaniae metropoli, popularis est; namque symptomata huius morbi, signis Colicae saturninae omnino sunt congrua. — Sed in casibus omnibus hic enumeratis non plumbum metallicum nocet, sed plumbum oxydatum aut salia saturnina quae allato oxygenio aut acidis componuntur. —

Plumbum oxydatum citrinum, plumbum oxydatum rubrum, Minium et quod inde fit vitrum, lithargyrium dictum, et in arte medica (ad emplastra plumbica componenda) et in oeconomia frequentissimum habent usum. Saepissime haec praeparata nocent eo quod massa vitrea, qua vasa figulina obducuntur, praecipue ex iis componitur. Quamquam studium virorum illorum, qui ut Baker et post eum Ebell*) Westrumb, Hermbstaedt et alii, contra omnia encausta plumbo facta locuti sunt, nimium esse putamus, tamen certe negari nequit incaustum illud male praeparatum, nec satis ustum, multis alimentis, praesertim acidis, facillime posse solvi. Multo maiorem perniciem lithargyrium hominibus eo attulit quod nefandorum hominum avaritia hoc praeparato ad vini mali austeritatem mitigandam abusa est. Quae fraus scelestissima patrum temporibus magis erat popularis quam nunc postquam tantos in arte chemica fecimus progressus ut exploratio veneni vino immixti sit facillima. —

Inter salia saturnina duo potissimum frequenter nobis

---

*) G. A. Ebell die Bleiglasur des irdenen Küchengeschirrs als eine anerkannte Hauptquelle vieler unserer Krankheiten. Hannover 1794. —

occurrunt: plumbum aceticum et carbonicum. De noxa, quam e plumbo acetico organismus capere possit, opiniones medicorum valde inter se discrepare supra iam diximus. Equidem iis nequaquam assenserim, qui hoc sal praeparatum paene innoxium esse dicunt, quum viri doctissimi atque experientissimi ejius usum nimis saepe Colicam saturninam sequi viderunt. —

Sed in eo nunc omnes medici consentiunt, nullum esse plumbi praeparatum quod tam facile Colicam saturninam possit provocare quam plumbum carbonicum. Propterea aqua, in vasis plumbeis servata aut per canales aut fistulas e plumbo factas permanans, tam frequens est causa Colicarum saturninarum endemice haud raro grassantium. Sic medici batavi aquae pluvialis noxae hominum animos adverterunt, quae de tectis e plumbo factis, in Hollandia popularibus, destillavit. —

Ex iis quae hucusque locuti sumus nemo non intelliget fieri non posse, quin ii frequentissime morbo nostro implicentur, qui tractando plumbo eiusque praeparatis operam impendunt. Plerumque itaque Colicam saturninam nanciscuntur qui aut figulino opere occupantur aut plumbi praeparatis cerussa, minio, lithargyrio utuntur; pictores et qui pigmenta terunt, qui pharmaca plumbea aut componunt aut vendunt, qui plumbum fodiunt aut liquefaciunt, porro tinctores, deauratores et qui sunt reliqui.

Num certa quaedam corporis diathesis magis sit prona ad Colicam saturninam quam alia, in obscuro atque ambiguo adhuc versatur. Id solum se observasse dicit Stoll mercenarios, duris antea laboribus exercitatos, duros ipsos et animo et corpore, ubi operam suam ad terenda pigmenta converterint, minus ab iisdem pati; minus etiam illos, quibus venter

quotidie et saepius ac facile reddit; et minus omnes ac mitius aestate quam hieme *). —

Est colicae quoddam genus populare praecipue apud Pictones in Francogallia, apud Damnones in Anglia et Mantuae Carpentanorum in Hispania, quod mire cum Colica saturnina congruit. Franciscus Citesius, qui sub finem saeculi XVI et initio saec. XVII artem salubrem apud Pictones exercebat, primus erat qui de Colica Pictonum uberius disputabat. Ex eo inde tempore plurima de hoc morbo conscripta sunt. Medici alii pro malo peculiari eum habebant, quod Colicam Pictonum, Damnonum, vegetabilem, Cydercolik, vocabant. Ortum esse credidere e nimio vino consumpto recenti, austero, acido, e vino e pomis facto, ex acidis vegetabilibus etc. Alii, G. Baker secuti, morbum nihil esse contendebant nisi meram Colicam saturninam natam e vino aut fraude plumbo mangonisato, aut in vasis, plumbo armatis, reservato. Ut nostram de hac re in medium proferamus sententiam, negare quidem nequimus rebus supra enumeratis Colicas vehementissimas posse provocari, tamen non putamus ex iis solis illud morbi genus posse oriri, quod omnes Colicae saturninae notas tam peculiares nullique alteri morbo communes prae se fert. Persuasum igitur habemus inter Colicam saturninam et Colicam illam, vegetabilem dictam, et quod attinet ad symptomata et quod ad causam proximam atque remotam, nullum interesse discrimen. —

Diagnosis.

Jam supra commemoravimus raro aut numquam omnia illa Colicae saturninae adesse symptomata congregata, quae in eo

*) Stoll Rat. medend. Tom. II. p. 281. —

capite, quod de symptomatologia scripsimus, sunt enumerata. Sexcentas contra formas morbus noster ludit et mirifice est proteiformis adeo, ut permultis in casibus diagnosis sit difficillima. Sed vehementia malorum, quaedamque notae quas persaepe collectas videmus, si morbus non jam intra initia versetur sed adoleverit, Colicam saturninam facilius ab omni alio morbo discriminabunt. Symptomata maxime notanda in Colica saturnina quibusque optime stabilitur diagnosis sunt: Species doloris, qui contorquens est et subinde ardens, per intervalla exacerbari solitus. Gravitas artuum. Pulsus durus, plenus, fortis, non febrilis plerumque, subinde tamen naturali celerior. Umbilicus in plerisque retrotractus. Alvus tarda, vomitus aeruginosus. Tenesmus ad matulam. Dolores omnium artuum, qui per vices exacerbantur; stupor artuum qui etiam in paralysin transit. Convulsiones multigenae. Sensus versus vesperam et noctu caloris in toto corpore, quin tamen aegrotus ad attactum caleat. Insomnia, deliria, furor. Urina aut naturalis aut mere aquosa. Quorum symptomatum ubi compluria in uno deprehendimus conjuncta, magna movetur suspicio venenationem plumbicam esse factam. Quando ad ea per anamnesin constat aegrotum in opere saturnino solitum esse versari, atque per vitae genus coactum esse in frequentem praeparatorum plumbeorum venire consuetudinem, diagnosis inde fit multo certior. — Si quem colici dolores excruciant solito majores, nec causam ullam aliam possumus invenire: semper summo cum studio est inquirendum annon plumbum, quacunque sit via, in corpus aegrotantis sit assumptum. Explorandi sunt cibi, potus, supellex et aliae res quae in aegri diuturno sunt usu. Quae exploratio multo magis est indicata, si una complures homines in una familia, in hospitio, monasterio etc. colicis cruciatibus similibus fuerint affecti.

Praeter plumbum etiam cuprum non raro morbi cujusdam

est auctor, qui, quod ad ventris cruciatus, Colicae saturninae est simillimus. Aliis autem signis a nostro morbo valde discrepat. Convulsionibus non ita vehementibus aegri afficiuntur, paralysis et coma perquam raro superveniunt. Maxime autem hoc malum a morbo saturnino distinguitur per febrem, sitim, respirationem impeditam, praecordiorum angorem, diarrhoeam, quibus aegrotantes vexantur, ita ut hic morbus speciem magis acutam, inflammatoriam prae se ferre videatur quam Colica saturnina. Huic morbo per remedia purgantia optimam fieri medicinam dicunt.

Ubi in stadio paralytico aegrotum videmus, anamnesi uti optimae ductrici possumus confidere. Signum pathognomicum est ea ratio qua manus, ut pondus inanime, a corpore prorsus alienum, de brachio dependent.

Prognosis.

Colica saturnina, quamquam dirissimis symptomatibus nos terreat, tamen raro est lethalis suopte ingenio nisi cum alio morbo combinationem inivit. Apta adhibita medicina fere semper aegroti orci ex faucibus eripiuntur, quin ne malis paralyticis quidem mulctari solent, modo cito, morboque nondum admodum provecto, opem nostram attulerimus. Plurimis in casibus, ubi cadaverum eorum, qui Colica saturnina laboraverant, dissecandorum erat occasio, aegroti alio morbo, qui morbo nostro supervenerat, erant jugulati. Quare varias illas intestinorum depravationes, quas multi se vidisse contendunt, morborum cum Colica saturnina conjunctorum esse sequelas autumamus. Reserando pauca illa corpora quae soli atque genuinae Colicae saturninae succubuere, structuram et nervorum et aliorum organorum plane immutatam atque incolumem reperiere.

Mala est complicatio morbi nostri cum febre gastrica; pes-

sima cum inflammatione viscerum. Experientia enim docemur in omnibus illis affectibus inflammatoriis, qui e malis neuralgicis originem duxerint, aegrotantem magno in discrimine versari. Tunc semper inflammatio intestinorum primam medentis curam requirit. Sin apparatu antiphlogistico per aliquod tempus accurate adhibito, morbum nihilominus exardescere atque efferri observamus, tunc maximopere est verendum ne aeger in praeceps feratur.

Morbum omnino profligatum esse sperare nequimus, nisi pulsus duritiem suam insignem penitus amiserit.

Quae paralysis per plures dies affecit aegrotum, ea longinquam atque difficilem poscit curationem; musculi affecti nunquam iustum suum volumen recuperabunt.

Quacumque morbi periodo superveniunt insultus epileptici, semper pro re mala sunt habendi. Quando tunc apparent, quum omnia alia symptomata iam evanuere, raro aegroti penitus ab iis liberantur.

Qui sponte vomunt, licet mala caetera urgeant vehementissime, facilius sanescunt, quam qui modice afficiuntur nec ore quidquam reddunt. —

Incerta interdum praedictio quem morbus eventum sit sortiturus. Namque aegri, quos levissime tu dixeris esse affectos, apoplexiae subitaneae non ita raro succumbere videmus. Quae apoplexia autem, nisi extemplo vehementia sua enecat aegrotum, plerumque curatur nec ulla vestigia relinquit.

Tabes metallica, ubi aliquantum adolevit, certam plerumque mortem post se habet. —

CURA.

Ut morbus tam dirus praecaveatur opus est, ut homines, qui in opere saturnino versari coacti sunt, semper aliquid comedant antequam ad consuetos suos labores accedant.

De Haen cibos oleosos, pingues, mucilaginosos ut pro phylactica optima commendat. Quibusdam fumum Nicotianae herbae inter labores suxisse profuisse dicunt. Praeterea caveant eiusmodi homines ne plumbi vaporibus nimis diu exponantur; si fieri potest sub dio munere suo fungantur. — Quodsi tamen prima intoxicationis signa in corpore suo animadvertunt, quamdiu venenum ipsum corpori inhaerere possumus credere, emeticum forte aut purgans auspicato interdum evenit. — Saepe raro hac methodo imminens malum avertitur. —

De ratione, qua ipsi morbo sit medendum, quamquam facillima atque simplicissima, utplurimae inter medicos semper fuerunt opiniones. Alii sola phaenomena morbi maioris habentes quam par erat, in iis morbi naturam positam esse credidere; alii organorum quorundam mutationes, a morbis prorsus alienis provocatas, quae in cadaveribus reseratis invenere, pro Colicae saturninae effectibus habuere; alii hypotheses et ratiocinationes suas plus iusto sectarunt: qui aliter fieri potuit, quam ut suam quisque therapiam opinioni adaptaret, quam de morbi natura atque indole habebat? —

Sic fuerunt, qui ut stimulum enervent, secretiones gastricas nimium quantum sollicitantem, sola emollientia, humectantia, mucilaginosa, oleosa porrigenda esse putarent. Alii in emesi concitanda aut in alvo potentissimis pharmacis sollicitanda rem positam esse arbitrabantur. Sed quid omnis proderit evacuatio, quum perstet antiqua e plumbo irritatio accedatque nova a remedio ipso evacuante? Qui dolores imprimis spectabant, et pulsus duritiem, malum inflammatorium esse putantes, venaesectionem et omnem antiphlogisticum apparatum pro sacra anchora habuere. Ob debilitatis signa, quibus casus singuli erant insignes, alii nervina remedia suppeditabant.

Sed quid multa de his methodis hypothesibus falsis adaptatis? Ex iis, quae de causa proxima Colicae saturninae in

medium protulimus, facile vera aptaque medendi ratio patebit. Quum morbi nostri natura posita sit in irritatione nervorum abdominalium, spasticaque tractus intestinorum constrictione, ex irritatione illa orta: princeps est indicatio maximeque urgens, ut irritationem illam quam citissime sopire conemur. Quem scopum ut assequamur non sunt inutilia emollientia, involventia, humectantia. Bene igitur aegroto commendamus balneum aut semibalneum calidum; bene cataplasmata abdomini imponimus, aut vapores emollientes ano immittimus. Etiam oleosa et mucilaginosa, modicis dosibus aegrotis propinata, non sine omni erunt fructu. Sed ea omnia, quamquam utilia ad curam adjuvandam doloresque acutissimos mitigandos, nequaquam sufficient ad tantum morbum radicitus tollendum Nonnulli emollientibus atque obvolventibus remediis leviora purgantia interposuere, sed etiam ii mitiores tantum Colicas saturninas et perpaucas sanavere.

Remedium princeps, cujus locus nullo alio pharmaco potest expleri, est opium, dosibus largis et frequenter repetitis porrectum. Fortasse quis miratur, quid sit quod opium, cujus eximia vis alvum claudens nemini non sit nota, in hoc morbo praebendum moneamus, cujus symptoma maxime insigne est abdominis pertinax illa constipatio. Quae constipatio autem, quum sola spastica intestinorum constrictione sit provocata, quid mirum quod alvus, opio cohiberi solita, in Colica pictorum adeo non impeditur ut potius promoveatur? — Omnes medici boni in eò consentiunt, adhibito opio felicissimas Colicae saturninae curationes se fecisse et confirmatas easque numerosas. — Sed ut supra diximus doses opii magnas morbus noster exigit et frequenter et diu repetitas. M. Stoll se cuidam in vehementissimo vomitu saturnino una nocte grana tredecim opii cum emolumento dedisse dicit. Admodum commendandam

esse putamus eam mixturam quam medicus hic, summopere ad-
mirandus, Colica saturnina affectis porrigere consuevit:

Rp. Opii puri
Camphor. aa gr. x.
Extract. flor. Chamomill. ℨj.
Aq. flor. Chamomill. ℥vj
Syrup. flor. Chamomill. ℥jß

MDS. Sumat aegrotus omni quarta hora sextam totius
partem, donec omnia intra viginti quatur horas fuerint
absumta.

Plerumque opus est hanc methodum per plures dies con-
tinuare. — Caput temulentum, vertiginosum, insultus epileptici
mania in Colica pictorum adeo non contraindicant opium, ut
illud potius indicent. Saepe adhibito solo opio alvum hucusque
clausam solvi videmus, faecesque multas reddere. Quod si
minus fauste evenit, tunc demum tempus est remedia purgantia
aegrotanti propinare, inter quae valde recommendaverim Ol. Croto-
nis, hacce forma datam: Rp. Ol. Croton. gtt. j. Sacch. alb. ℈ß
M. f. pulv. omni bihorio repetendus donec alvus sit relaxata. —
Purgantia, etiam fortissima, ante opium data alvum non movent,
sed vehementissimum vomitum, auctis simul abdominis doloribus,
ciere solent. Ubi intestina autem opio quasi sunt praeparata,
nec sponte solvuntur, purgantia optime conducunt. Sic opia-
tis atque purgantibus alternis vicibus datis aegrotantes ple-
rumque facile et tuto sanantur. Sunt etiam qui opium eiusve
praeparata cum drasticis remediis aut cum salibus purgantibus
non minore cum aegroti emolumento iungunt. — Sed cave ne
opium ante omnem morbum penitus exstinctum seponas.
Etiamsi aeger ab omni vacet molestia, tamen pro sanato non-
dum est habendus, nisi pulsus, antea durus atque vibrans,
emolliatur.

Laudata invenimus multa remedia adiuvantia, quae nequaquam sunt spernenda. Inter ea optima esse putamus: cataplasmata e foliis nicotianae aut e capitibus papaveris facta, abdomini superimposita; infusum aut fumus nicotianae ano immissa *), quibus et cruciatibus vehementissimis et alvi obstructionibus pertinacissimis mirum quanta celeritate saepe medetur. Etiam balnea calida saevissimos morbi impetus non raro eximie mitigabant. —

Alii alia remedia recommendavere. Phlebotomia nihil prodest, nec arteriarum duritiem emendat, nisi adiuncta intestinorum inflammatione. Atque hic etiam soli inflammationi per eam medetur, remanente Colica saturnina. — Magnas doses sulphuris atque aluminis multi laudavere; nos ea remedia aegrotantium saluti multum conduxisse non credimus. Emetica provecto iam morbo esse inutilia experientia docet. —

In hospitio caritatis Parisiensi medendi ratio adhibetur, admodum complicata, quae, quamquam maximopere laudatur, methodi simplicis modo propositae locum explere non potest. —

Jam venimus ad eas curae mutationes, quas differentiae morbi aut mala aliena, quibuscum connubium inire potest, requirunt. —

Si persuasum nobis est Colicam saturninam intestinorum inflammationem in societatem suam adscivisse, medendi ratio omnino erit invertenda. Hoc enim in casu necessariae sunt venaesectiones largae et repetitae, hirudines aut cucurbitae cruentae in abdomen applicatae, cum potu multo, calido, oleoso, mucilaginoso; remedia eccoprotica suavissima ut Tamarindi, Manna, salia neutra lenia; quibusdam profuerunt Calomelas, balnea calida, clysteres et cataplasmata emollientia. —

---

*) Vid. J. G. Schaeffer der Gebrauch und Nutzen des Tabackrauchklystiers etc. Regensburg 1772. p. 29 ff.

Statu etiam cum gastrico atque bilioso non raro Colica saturnina coniungitur. Hic primum ea symptomata sunt removenda, quae gastricam affectionem comitantur. Leges generales quas in hac malorum societate semper sequi debemus difficillime statui possunt. Pro varia organorum gastricorum affectione varia instituenda erit medicatio. Nunc opus est emeticis, nunc purgantibus, nunc remediis solventibus et quae sunt alia. Id solum semper spectandum est nonnisi omnibus mali alieni symptomatibus abstersis Colicam pictorum methodo antisaturnina esse dèbellandam. —

Colicam saturninam varios exitus atque sequelas post se habere fusius iam diximus. Qui, quamquam Colica ipsa pictorum facile sit propulsanda, peiorem habent prognosin et saepe omnem medelam reddunt frustraneam.

Quod saepissime ex his obvium nobis fit malum est affectio paralytica, qua diversissimae corporis partes non raro mulctantur. His adnumerandae sunt pertinaces alvi obstructiones, quae multas Colicas saturninas sequuntur. — Quae cum nihil sint, nisi ipse morbus etiamnunc aegrotum vi quadam debilitata atque imminuta afficiens, nonnisi curam antisaturninam prolongatam requirit. Opium cum remediis eccoproticis alternis vicibus porrectum sedes provocabit. Denique medicaminibus roborantibus cura erit finienda.

Quando aegri post Colicam saturninam marasmo, tabique metallica implicantur, tunc remedia tonica, fortificantia atque nutrientia sunt indicata. Etiam nervina saepe sunt adhibenda ob turbatam et debilitatam systematis nervosi conditionem. Praebeantur igitur aegroto infusa radicis Rhei cum extractis amaris, aliisque medicamentis vires restaurantibus; Asa foetida, Calamus aromaticus, Quassia, China, Ferrum aliaque huiusce generis remedia saepe non sine emolumento dabuntur. Inter nervina conducunt: Valeriana, Serpentaria, Arnica etc. Sed

semper eorum organorum respectus habeatur, quae digestioni inserviunt. Quoniam alvus etiamnunc obstructa esse solet, remedia aperientia medicaminibus supra laudatis saepius interponantur. — Ad curam adiuvandam recommendare debemus alimenta nutrientia, bene concoquenda, vinum genuinum, cerevisiam bonam; balnea aromatica, lotiones et unctiones roborantes. Quamquam ea omnia in malo tam desperato nonnisi opem admodum ancipitem ferent.

Paralysi, praecipue extremitatum superiorum iamdudum remedia corroborantia atque analeptica opposuere, neque tamen magno cum successu. Pemberton suadet ferulam spatuliformem lateri flexorio antibrachii imponere in qua manus extensa quiescat. Omnes aegros, quos ita tractavisset, sanatos esse gloriatur. Stokes et alii strychninum laudant dosibus sensim auctis porrectum.

Adiuvatur cura vesicantibus atque frictionibus aromaticis. Multis etiam balnea animalia, electricitatem et galvanismum profuisse contendunt. —

V I T A.

Ego, Eduardus Albertus Müller, confessioni evangelicae addictus, natus sum Ascaniae, sexto die mensis Augusti anni huius saeculi decimi quinti, patre Eduardo Aemilio, quem, munere quodam militari functum, iam mortuum lugeo, matre dilectissima Albertina e gente Weidemeyer.

Primis literarum elementis et in urbe patria et Rawiczii, quod oppidum est Posnaniae, imbutus, anno MDCCCXXVI in gymnasium Ascaniense receptus sum, quod postquam per octo annos frequentavi, a Cel. Wex t. t. directore, maturitatis testimonio munitus, anno MDCCCXXXIII almam Fridericianam Halensem petii, ubi per quinquennium hisce interfui scholis: Ill. Gruber de encyclopaedia et methodologia literarum generali; Ill. Gerlach de logice et psychologia; Ill. Schweigger de chemia; Ill. Kaemtz de physice; Ill. Germar de mineralogia; Ill. de Schlechtendal de

botanice; beat. Nitzsch de zoologia et de zootomia; Cel. Moser de osteologia; Ill. d'Alton de anatomia, et universa et organorum sensuum, de arte cadavera rite secandi, de physiologia et historia generationis; Ill. Friedlaender de pharmacologia; Ill. Krukenberg de pathologia et therapia tam generali, quam speciali (part. I, II, III et IV); praeterea eiusdem scholis clinicis interfui per tria semestria. — Anno MDCCCXXXIX Berolinum me contuli, ubi a Rectore magnifico Ill. Müller in civium academicorum numerum receptus et a Decano spectabili Schultz in album facultatis medicae inscriptus sum. Hic lectiones Ill. Rust de herniis et prolapsibus et Cel. Wilde de arte obstetricia adire mihi licuit.

Quibus omnibus praeceptoribus optime de me meritis maximas quas possum gratias habeo semperque habebo. —

Jam vero tentamine et philosophico et medico atque examine rigoroso absolutis, spero fore ut, dissertatione et thesibus publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Luce externa ad videndum opus non est.
2. Plumbo in canalem intestinorum ingesto minus facile Colica saturnina provocatur, quam si per cutem externam aut per pulmones fuerit absorptum.
3. Dentes ossibus non sunt adnumerandi. —
4. Vel gravissimis intestini crassi desorganisationibus, nisi magni excruciant dolores, corpus parum extenuatur. —
5. Pro varietate Climatis Syphilis variam poscit curationem.